

D E

# AQUA MARINA COMMENTARIUS.

---

A U T H O R E J. S P E E D M. D.

---

*Nullius addictus jurare in Verba Magistri.*

Hor.

— τὰ δὲ ἐτήτυμα τῶντ' αἰγαλόεντων.

Phocyllid.

---

---

O X O N I I,  
E THEATRO SHELDONIANO.

Impensis R. CLEMENTS, Bibliopolæ, Oxon.

Prostat apud R. BALDWIN in Pater-noster-Row, London.

M D C C L V.

S I Q U A forsan prodierit (quod absit) hujus commentarii versio Anglicana, notum sit illam fore surreptitiam: mihi enim persuasissimum est, nihil æquè humano generi perniciosum esse, ac anfam præbere, ut vel ægri, vel pharmacorum confectores & ministri Medici evadere posse sibi videantur.

---

## P R O O E M I U M.

TAM latè patet, tantāque varietate ditescit Opificis divini sapientia, & erga genus humanum benevolentia, ut, licet mille conflictemur malis, singulis tamen mille ferè porrexerit nobis Deus Optimus Maximus remedia: Is autem est, & semper fuit, semperque forsan erit medicinæ status, ut, quæcunque ex his selegerint ævi cujusque majoris famæ medici, hæc per vices suas præ cæteris (baud minus efficacibus) prædicientur medicamenta, mox forsan unà cum fautoribus suis obliviscenda: hinc frequens novorum venditatio, frequens item recursus ad vetera, adeò ut verissimè de medicamentis dici possit,

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque  
Quæ nunc sunt in honore — si volet usus.

Prudentis igitur est medici de singulis considerare, quantum reverà cæteris præstent, quantum autem temporum consuetudini, & mero medicorum arbitrio virtutis illorum famigeratio debeatur. Hâc mente ad veras aquæ marinæ virtutes

tutes investigandas, tam ex veterum scriptis, quam ex obseruatione propriâ operam dedi; sollicitus nempe, ut ægrorum saltem aliquos à frustraneo medicinæ minus aptæ tædio, artemque simul nostram, cuius honori & dignitati quam maximè semper studio, à fortuitæ praxeos suspicione vindicarem. Tu verò, lector, his fruere, & æqui boni consule.

E R R A T U M.

Pag. 17. lin. 5. seniores lege saniores.



Boitard inv. et sculp.

D E

# A Q U A M A R I N A C O M M E N T A R I U S.

CUM plurimū nuper invaluerit usus Aquæ Marinæ medicus, haud inconsultum fore duxi de illius naturâ disquisitionem facere; in quem finem, & ut certior præcipuè fierem de Aquæ Southamptoniæ Litora alluentis statu (dum tantus ad illâ fit ægrorum concursus) experimenta, quæ sequuntur, institui.

A

i. AQUÆ

## EXP. I.

1. AQUÆ marinæ ab Insulæ *Vectis* littore meridionali, quâ patet Oceanus Britannicus ad oras usque Gallicas;

2. AQUÆ marinæ à littore *Suthamtoniensi*, in maximo maris fluxu, qui circa novilunium & plenilunium accedit, Anglicè, *spring-tide*.

3. AQUÆ marinæ ab eodem littore in fluxu parciori, circa medias lunæ crescentis ac decrescentis periodos eveniente, Anglicè *neap-tide*; singularum felibram mercatoriam, uncias octo pond. continentem, lenissimo arenæ calori evaporandas commisi; cumque particulæ aquosæ penitus avolâssent, reliquæ erant ex aquâ *Vectensi* drachmæ duæ cum granis octo; ex aquâ *Suthamtoniensi* maximi fluxûs, tantumdem; ex eâdem fluxûs parcioris drachmæ duæ cum granis duobus; In refluxu maris defuere grana decem eidem aquæ *Suthamtoniensis* quantitati, ad fluxûs parcioris periodum; in solo autem fluxu immersioni suppetit aqua, littoribus in refluxu à mari omnino derelictis. Non est igitur ut de locorum delectu solliciti simus, modo in singulis aquæ marinæ libris contineatur salinæ materiæ paulum supra Semunciam<sup>1</sup>.

Massa hæc, ab aquæ marinæ evaporatione residua, coloris erat albidi, flaviusculi, saporis autem falsi, amarescentis; ejus particulæ nullam certam induerant figuram, excepto quod paucula quædam grana in fundo vasis cubos imitarentur; inest enim aquæ maris substantia quæ-

1. Notandum est hanc massam exsiccatam adeo citissimè aëris humiditatem in se recipere, ut nisi adhuc calida deferatur ad stateram, haud exactè de ejus pondere judicaveris.

dam

dam terrea, fabulosa, quam ad salinas opifices Anglicè *scum* vocant, summè salis chrystillationem impediens; nec salis granulati particulam obtinere possunt illi, nisi muriā prius ab his fæcibus probè repurgata. Harum non ultra septem circiter grana singulis aquæ libris insunt.

RESIDUI istius in aquâ pluviae solutio à fæcibus supra memoratis per filtrum separata<sup>1</sup>, coloris erat flavescentis, & arenæ calori lenissimo commissa, cubos in superficie exhibuit, qui perfectè formati fundum petierunt; procedente autem evaporatione intensior gradatim evasit liquoris flavedo.

## EXP. II.

DE aliis postea quatuor libris aquæ *Suthamptonensis* maximi fluxûs eodem modo experimentum feci, cumque ex harum residui solutione evaporatâ uncia tantum unica mensuralis, aut circiter, liquoris flavi fuerit reliqua, cessavit cuborum proventus. Ex his quatuor libris sesquiunciam cum semidrachmâ salis puri cubici obtinui, aliquantum etiam (altera forsitan semidrachma) per incuriam fuit amissum.

## EXP. III.

CUM liquor iste flavus, quem *salis lixivium* nuncupat *Hoffmannus*, cubos reddere desierat, à calore continuato crustâ albâ superficies ejus obtegi cœpit; ab arenâ remo-

1. Notandum est fæces istas, licet aquæ marinæ adeo intimè immisceantur ut per filtrum unâ transeant, tamen, post evaporationem, tam perfectam solutionem non pati.

## DE AQUA MARINA.

tus, & loco sicco repositus, à solis & aëris æstivi calore in crystallos prismaticas coaluit; ex his autem crystallis, solutione & novâ crystallificatione purificatis, fit *sal catharticus amarus* officinarum, vulgariter dictus *sal Ebeshamensis*. Afferit quidem *Hoffmannus* salem hunc *Ebeshamensem* dictum, non nisi additis lixivio aliis quibusdam salibus fieri<sup>1</sup>, sed illum in hâc re hallucinatum fuisse probat experientia. Non datur in rerum naturâ corpus aliquod quod æquè suscipit aëris humiditatem ac *salis hoc lixivium*; ad extremum nempe siccitatis gradum, & lapidis ferè duri-  
tiem calcinatum, si aëri exponatur, citissimè deliquescit; Huic liquori, *sale cathartico amaro* scatente, urinam com-  
miscent ex salinariis aliqui, quam mixturam post efferves-  
centiam sublimando *salem ammoniacum* conficiunt<sup>2</sup>. Qui de hoc lixivio plura rescire cupierit, consulat *Hoffmanni* ob-  
servationes medico-chymicas.

EXEMPTO omni sale prismatico, drachmis scilicet cir-  
citer duabus, fæces subfuscæ insipidæ, cum pauculâ aquâ,  
etiam insipidâ<sup>3</sup>, in fundo vasis remanserunt, omni amari-

<sup>1</sup> Obs. Med. Chym. pag. 198.

<sup>2</sup> R. lixivii salis cong. i. urinæ cong. iii. stent ad fervescientiam per horas 48. in vase plumbeo: deinde evaporentur ad siccitatem & posteà sublimentur s. a. ut fiat sal ammoniacus. A salinariis prope Novum-Castrum communicatum.

<sup>3</sup> Notandum est fæces insipidas & aquam insipidam ab aquâ mari-  
nâ provenisse quam ipse evaporavi, ex quam salis communis omnis par-  
ticula fuit exempta. Quæ autem ex aliâ lixivii portione, quam à salini-  
nis obtinui, erant reliquæ, falsitudinem aliqualem sapuerunt. Quare  
salem tertium, qui in lixivio esse affirmatur in *actis philosophicis Lon-  
dinens.* nihil aliud esse crediderim quam salem communem, qui unâ  
cum lixivio solutus decurrit in processu *Lemingtoniensi*, in iisdem *actis*  
recte descripto. N°. 377.

tudine fraudatæ, sale isto destitutæ. Quare errâsse videntur qui conjiciunt bitumen quoddam amaritudinem suam aquis marinis impertiri, nisi forsan detur in rerum naturâ *sal bituminosus*, quod videant quorum interest.

## EXP. IV.

FÆCES has ad calcis naturam accedere suspicatus, *sal gemmæ* in aquâ calcis dissolvi, & solutionem arenæ evaporandam commisi; sub finem evaporationis liquor, instar lixivii prioris, flava evasit; quod quidem minimè accidit salis ejusdem solutioni in aquâ simplici factæ. Consulatur Dni. Dris. Grew tractatus de *salis cathartici amari* naturâ, quocum per omnia convenit (quod expertus didici) *sal amarus marinus*.

Ex prædictis constat aquam marinam continere 1°. *salem communem*: qui omnium consensu deficcat, &, Hippocrate teste, alvum constipat: ἀλλὰ γάρ φύσιμον εἰσιν οἱ ἄνθρωποι τῷ ἀλυμῷ ὑδάτῳ πέπει, διὸ ἀπερέιν, καὶ ὅπι νομίζεται αἷχερηπικό. τὰ δὲ ἐγαπιώτατά ἐστι τοὺς αἵχερηποὺς, ἀτέρχιμα γάρ, καὶ ἀνέψαντα, ὡς τὸ κοιλίνιν ὑπὸ αὐτῶν σύφερθα μᾶλλον ἢ τῆκεσθαι<sup>1</sup>. At enim mentiuntur homines de aquis *salsis*, nempe propter imperitiam, quod credantur alvum ducere, sunt verò maxime ad alvi egestionem contrariæ, crudæ enim sunt neque coctibiles, adeo ut venter ab illis astringatur potius quam eliquetur. Quod de aquis sale tantum communi saturatis intelligendum censeo, quales extant apud nostrates in agris *Cestriensi* & *Wigorniensi*, & in quamplurimis regionibus exteris. Et qui vescuntur cibis sale conditis alvo plerumque sunt durâ, cuius

<sup>1</sup> De aëre locis & aquis. cap. 16.

in causâ est, quod, in sale culinario conficiendo, eò potissimum tendunt opifices, ut ab *amaro lixivio*, *sale cathartico* scatente, quàm penitissimè separent salem communem alvum constipantem: nec adeò indurescunt carnes cum sale Gallico (*vulgo bay salt*) conditæ, quod iste salem amarum habet admixtum.

2. SALE M *amarum*, tam *diureticum*, quam *catharticum*, obstrunctiones etiam referandi virtute præditum, ut pote omnium salium, exceptis tantùm corrosivis, penetrantissimum; Quare huic sali *aquæ marinæ internè sumptæ* vires tam catharsin quam diuresin movendi, quam glandulas obstructas detergendi potissimum tribuo: & sæpe sæpius pueros ab obstruktione glandularum mesenterii liberavi usu *Entis Veneris*, sive *florum ammoniaci martialis*, cum *æthiope minerali*, interpositâ debitâ intervallis catharsi ex *calomelano cum Rheo*, quod & alios fecisse fas est credere; si quid autem horum curationem promoteat *sal ammoniacus*, meministe fas est, illum ex lixivio amaro, *sale cathartico* scatente, admixtâ urinâ fieri. Et quicquid Virtutis habent medicamenta ex Plantis marinis confecta, habet & *sal ammoniacus*, quem crudum (suppositis in ejus locum *floribus* antedictis, si quando ægrorum corpora Temperamenti fuerint frigidioris) cum medicamentis deobstruentibus (*cinnabari præcipue antimonii*) unitum, interpositâ per vices catharsi, strumarum tumores citius quam aquæ marinæ potationem abegisse aliquoties observavi: Et apud Persas compositiones medicamentorum ad strumas sanandas internè sumendorum ingredi salem hunc compéri.

I Pharmacop. Persic. N. 20 & N. 126.

2. FÆCES

3. FÆCES utrasque, primas scilicet salis crystallisationem impedientes, alteras verò post salis cathartici crystallisationem residuas; quæ ambæ indolis esse calcariæ mihi videntur.

Usus aquæ marinæ medicus est vel internus vel externus; externum quidem probè calluerunt veteres; ipsos igitur audiamus, ac primò Hippocratem; Θάλασσα δὲ τοῖς κηποράδεσι καὶ δακνάδεσι, καὶ λύσιν καὶ πυεῦν θέρμῃ· τοῖς δὲ ἀνδρῶν ὑπολιπάνοντα. Πρὸς Ἑλκεα δὲ τυείκατα, καὶ ἀποσύματα, καὶ ὅσα τοιῶτα, πολέμιον ἐπιτήδειον δὲ τοῖς καθαροῖσιν, ἀγαθον δὲ καὶ ἰοχαίνειν εὖ ὡς τὰ τῶν ἀλιέων Ἑλκεα· ταῦτα γάρ οὐδὲ ἐκπυεῖ, ἀλλὰ μὴ φαύη· καὶ τοὺς ὑποδεσμίδας. Καὶ τὰ νεφόμενα τῶνει καὶ ἴσπον, ὡς ἄλες, καὶ ἀλμυνέδες, καὶ λίπεον. Ταῦτα δὲ πάντα συκρῷ μὲν χρωμένῳ ἐρεθίσκε, τροπικώντι δὲ ἀγαθά. Βέλτιον δὲ θέρμη τὰ τλεῖται<sup>1</sup>. *Aqua marina his qui pruriginem sentiunt, & qui ab acribus humoribus vellicantur, tum balneo, tum fotu calida prodest: his autem, qui non assueti sunt, molestiam creat. Ulceribus autem ex ambustione, & ex cutis abrasionibus, & cæteris ejusmodi adversatur; puris autem (ulceribus) convenit: & valet ad probe extenuandum, verbi gratiâ, piscatorum ulcera; hæc enim non suppurrant nisi vellices, & ad prima fracturarum subligamina. Quinetiam depascentia ulcera sedat ac sistit, uti sal, falsugo, & nitrum. Hæc quidem omnia usu parciori adhibita irritant, liberaliori verò prosunt. Præstat autem ad plurimâ calida.*

DE INDE Dioscoridem; Θαλάσσιον θέρμαν καταντλοῦμενον ἐπισπᾶται καὶ Διαφορεῖ ἀρμόζον τοῖς περι νεῦρα πάθεσι, καὶ χιμέτλοις τοῖς ἑλκαδῖναι. Ωμολύσεσθε τε ἐπιλιδείως μίγνυται, καὶ ἐμπλάστροις, καὶ μαλάγμασι διαφορητικοῖς εὑθετον. —— Ψόρεις τε καὶ κηπορῶν, καὶ λειχήνων, καὶ κον-

## DE AQUA MARINA.

δῶν, καὶ μασῶν σπαργώντων, κατάντλημα διαφορεῖ, καὶ πελιώματα πυελῶμενον. Πρὸς τὰ τῶν θηλέων δίγματα, ὅσα τεόμενος καὶ ψυγμένος φέρει, μάλιστα δὲ σκορπίων, καὶ φαλαγγίων, καὶ ἀσπίδων, καὶ εἰς θεραπεύσαντι τις εἰς θερμὸν αὐτὸν ὀφελεῖ. Καὶ ταῖς χρονίαις καχεζίαις τῷ σώματος καὶ τῶν νεύρων, ὀφέλιμον τὸ δι' αὐτῷ λαγῆσον. Ταπεινόμενον δὲ θερμὸν ὑδρωπικὸς, καὶ κεφαλαλγίας, καὶ δυσπνοίας παρηγορεῖ<sup>1</sup>. *Aqua marina calida, aspersione attrahit* & discutit; *Apta est nervorum vitiis* & pernionibus antequam in ulcera transierint. Commodè miscetur cataplasmati ex hordeaceâ farinâ, & emplastris, & malagmatis discutientibus accommodata est. — Scabrities, sive eae sint ex prurigine, sive ex lichene, sive ex lendibus, sive sint mammarum lacte nimio turgentium, aspergine discutit, & fotu livores. Ad venenatorum morsus tremores & refrigerationes inferentes, præcipue vero scorpionum, phalangiorum, aspidumque, prodest si quis in ejus calidæ solium descendat. Confert etiam ex eâ Balneum iis qui malo corporis & nervorum habitu chronicō conficiuntur. Ejus ferventis vapor hydropicos, capitis dolores, & difficilem auditum levat.

IDEM etiam iterūm, in libro de Theriacâ, lotiones ex aquâ marinâ commendat ad venatorum ictus<sup>2</sup>.

GALENUS inquit; καὶ εἰ βγληθεῖν ἢ βρέχων μωτὸν ἐπιπλένει τοῖς ἔλκεσιν, ὑγρὴ μὲν ὑπὸ ποτίμων, ἔνεργὴ ἢ ὑφ' ἄλμην τὰ καλάτην εὔρησεις γνόμενα<sup>3</sup>. Quin si imbutum linamentum ulceribus imponere libeat, humida quidem ex aquâ potabili, sicca verò ex muriâ marinâque reddi comperies. Idem ad gangrænam laudat ejus perfusionem; εἴ τοι καὶ πελιδνὸν γενέας φθόσειν ἀποχάζοιτα κατα-

1 Lib. 5. cap. 19. De medicâ materiâ.

2 Cap. 19, 20, & 21.

3 De Medic. Simpl. Fac. L. I. cap. 7.

πλεύσειν, αὐτοῖς τὲ τὰ μὲν πλεῖστα δι' ὑδάτος θερμός· καὶ θάλασσα ἡ τοτὲ συνοίσει<sup>1</sup>. Quod si jam livor occupárit (in Erysipelite) incisā cute cataplasma adhibendum est, profundusque locus plurimū quidem aquā calidā; interdūm autem conferet etiam marina.

ORIBASIUΣ ex Antyllo hæc habet. Natatio, quæ in mari fit, ea hydropticis, scabiosis, & quos exanthemata infestos habent, itemque elephantiasin patientibus, & quorum crura aut aliquæ corporis partes defluxione tentantur, accommodata est: facit etiam ad eos qui ex alimento fructum non sentiunt, & qui morbo exagitantur<sup>2</sup>.

HEISTERUS, scriptor chirurgicus, inter primos merito recensendus, aquam marinam vel falsam cataplasm: & fotibus discutient: admisceri ferè passim jubet.

INTERNO ejus usui cautissimè veteres indulserunt. Scribit quidem Dioscorides illam dari τεκτηνίᾳ καθάρσιν: monet autem, quod μετὰ τὸ καθαρῆναι ἐπιδιδόσαι ζωμὸν ὄρνιθος, ἢ ἵχθυων, τεκτηνίᾳ τὴν τὸ διέξεως δειμύτητα<sup>3</sup>. Post dejectionem dant juscum vel piscium, vel gallinarum, ad infringendam inductæ rofionis acrimoniam. Varios etiam corrigendi modos recenset idem, asservationem scilicet longam, coctionem, mellis admixtionem, quam compositionem Thalassomeli vocat. Vinum etiam marinum commendat τεκτηνίᾳ κοιλίας ὑπαγωγῇ, καὶ ἐμπύοις, καὶ σκεληροκοιλίοις, Κόστοις τὸν Αμυνάων φάρον κεφαλῆς, sed, inquit, κακοσόμαχοι μεύτοι καὶ οὔτοι, καὶ τανευμάτων γεννητικοῖ<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Method. medendi. Lib. 14. cap. 3.

<sup>2</sup> Ita reddit interpres, sed exemplar aliquod Græcum Oribafii non contigit mihi vidisse: locus est Medic. Collect. Lib. 6. cap. 27.

<sup>3</sup> Loco prius citato.

<sup>4</sup> Medic. Mater. Lib. 5. cap. 27.

*Ad alvum ducendam, & empyicis, iisque qui alvo sunt durā, iisque qui à vinorum Aminoëorum potu capite tentantur; sed & stomacho adversantur, & flatus pariunt. In libro primo de parabilibus (si modo hi libri sint Dioscoridis) scribit, τὰς δὲ ἐντὸς ἀποτάσσεις φάσαι θάλασσα ποθεῖσα μετὰ μελικράτης. Internos vero abscessus rumpit aqua marina cum melicrato pota<sup>1</sup>.*

*De utroque utendi modo testatur Paulus Ägineta; Θαλασσοὶ ὑδῶρ ἀριμὸν καὶ θερματίκον μελέιως, καὶ ξυραγτικὸν ἐστί, καὶ κακοσόμαχον μὲν πινόμενον, κοιλίας ἢ ταχακτικὸν, καὶ φλεγμάτων ἀνωγὴν. Θερμὸν ἢ κατατλῆμενον ἐπιπάται καὶ διαφορεῖ<sup>2</sup>. Aqua marina acris est, & moderatè calfactoria, & desiccatoria, &, si bibatur, stomacho adversatur, ventrem autem turbat, & pituitam educit. Calide verò perfusa attrahit & discutit.*

*MORBORUM chronicorum progressum (modo non sint hæreditariâ labe, aut ab aliquâ causâ conspicuâ contracti) talem esse suspicor. Primò, ab inopinatâ aliquâ, sed frequenti, de rebus sex non naturalibus incuriâ, minuitur perspiratio insensibilis, & paulum languescere incipit ventriculi vis digestiva; cibis autem imperfectè solutis, viscidio phlegmate paulatim scatent ventriculus & intestina, (his autem vel phlegmate, vel excrementis viscidis obseßsis, fieri non potest, ut intestinales glandulæ officio suo secretorio debitè fungantur) crudus etiam in sanguinem fertur chylus, unde, crassi ejus vitiâtâ, minus aptè perficiuntur tam circulatio per vasa capillaria, quam secretio humorum per glandulas totius corporis, præcipue minimas, & fluidi ner-*

<sup>1</sup> Cap. 152.

<sup>2</sup> Lib. 7. cap. 3. Litt. Θ.

vofī per cerebrum. His ita se habentibus, ii quibus firmiora sunt vitæ stamina, diu morbum in *fieri* protrahunt, nec ope medicâ sibi videntur indigere; tandem verò, lento licet gradu, obrepit morbus aliquis chronicus: qualis autem ille fuerit, designabit forsan erroris primi natura, vel ægroti victus & vitæ ratio, vel idiosyncrasia. Quod ad scrophulas attinet, & rachitidem, infantibus quam adultis magis familiares, originem ducunt (modo non sint hæreditariâ labe contractæ) vel à victus erroribus, vel à nimis tenerâ parentum curâ, vel ab omissione medicinæ quantulæcunque, unde varias obstructiones patiuntur tenelli, & in horum morborum alterutrum sæpius incident. Ex habitu corporis plethorico morbi plerumque inequuntur acuti, ex hoc tamen, in phlegmaticis præcipue, oriri possunt viscerum infarctus, & quorundam chronicorum morborum exacerbari symptomata.

NON est igitur mirandum medicinam, cuius usu interno ventriculi & intestinorum phlegma per alvum dejicitur, externo autem sanguinis circulatio, & humorum secretio ad statum naturalem reducuntur, roboratis interim solidis partibus, qui veri sunt externe applicatæ effectus, sive balneo toti corpori, sive fotu vel embrocatione parti alicui propicias, horum morborum curationi esse aptam, modo tam altas non egerint radices, ut opem quamcunque medicam penitus eludant. Ad usum ejus externum referenda sunt quæ de *virtute* ejus *discutiente* tradiderunt veteres, ideoque per ejus potum glandularum intestinalium obstructions discutiuntur, quod iis ferè in contactum veniens, medicamenti topici vices agat.

C AUTO tamen est opus, utrovis eâ utare modo: qui enim calidioris sunt indolis, ab ejus potu omnino debent abstinere; illorum enim intestina mordacissimè vellicat, & illos, usu ejus continuato, male mulctat; non quod aliquid in se deleterii contineat aqua marina, sed quod naturâ suâ corporibus ita constitutis sit adversa. Abstinere debent etiam hectici, & qui diarrhœis obnoxii sunt, & qui à catharsî male se habere confueverint.

ALIQUOS vidi, quibus alvum omnino non moveret; his verò maximam creavit ventriculi molestiam, non nisi af-

\*Hoc incommodi præ-  
caveri plerumque po-  
test, addendo, si opus fu-  
erit, singulis aquæ ma-  
rinæ dosibus paulum *sa-*  
*lis Cathart. Amar.*

sumpto cathartico aliquo lenitivo le-  
vandam\*. Nonnulli è contrà, vel suâ  
sponte, vel pro suo arbitrio, biben-  
tes, ab ejus acrimoniâ, quam notâ-  
runt olim *Dioscorides* & *Paulus Æ-*  
*gineta*, in diarrhœas inciderunt ægrè

fanabiles, interdum etiam lethales. Phlegmaticorum al-  
vos plerumque fatis placidè movet, ventriculi calorem à  
phlegmatis congerie oppressam renovat, ventriculum ro-  
borat, appetitumque ciborum exacuit, modò dosis nimia  
non assumatur. Libræ semis, horâ somni epota & proxi-  
mo mane repetita, adultis plerumque sufficit; sed ab ef-  
fectu dosis designanda est; plerisque sitim creat importu-  
nam, sed nec hoc universum est. Quo autem consilio æ-  
gros, ab aquæ marinæ potu catharsin passuros, potionibus  
catharticis prius laceffant medici, quo etiam omnibus, im-  
mersionem subituris, aquæ marinæ, sine discriminâ, pota-  
tionem imperent, videant ipsi.

DE imersione frigidâ scripserunt accuratissimè nostrates medici<sup>1</sup>. *Balnea marina* cæteris non posthabent; ipse quidem anteferenda credo, propter auctam à sale specificam aquæ gravitatem; salis præterea stimulus glandulas cutis efficaciter deterget: gratam firmitatem cum calore per totam corporis superficiem sentiunt è bâlneo exeuntes, indicium plerumque sanitatis infecuturæ; hic autem calor si sponte non superveniat, exercitio modico est conciliandus. Præter hæc, insigne virtutis accedit incrementum ab *amaro sale*, quem ipsissimum esse nitrum contendit *Floyerus*, quo saturata fuere veterum balnea frigida maximè decantata; non est igitur aqua marina balneum simpliciter *frigidum*, sed balneum *frigidum medicatum*: Quantumvis autem virtute medicâ gaudeat, non adeò exactè per calculum effectus suos reddit, ut certò præfiniri possit, quis immersioneerum numerus ad ægrum aliquem sanandum sufficiat; quod expectare solent ægri, & aliquoties à medicis nimiâ præsagii temeritate promissum novi.

QUASCUNQUE cautelas de immersione frigidâ enumerauerunt authores supra memorati, eadem à mari immerso respiciendæ sunt; monet etiam *Oribasius*, *præcalfacere frictione oorpus*, & è vestigio in aquam se projicere<sup>2</sup>. Addendum est insuper, quod erysipelati obnoxii ab aquæ marinæ balneo ejus morbi recidivationem patiuntur; cuius exempla bina notabiliora mihi contigit observâsse: ex his æger alter, haud facile credens affectum istum ab aquâ marinâ provenire, postquam convaluisset, ad immersioneerem

<sup>1</sup> *Floyerus*, *Baynardus*, *Wainwrightus*.

<sup>2</sup> Loco priùs citato.

rediit, insequente semper, ad tertiam nempe vicem, erysipelate; alter semel tantum plexus destitut. Notavit olim *Prosper Alpinus*, ex dogmaticorum scriptis, *aquam marinam erysipelati non convenire*<sup>1</sup>. Quod de usu ejus externo intelligendum censeo.

A d emolliendos tumores, & ad omnes usus topicos insigniter præstat calida: experto crede, si quid nostrum *Hippocratis* autoritatem confirmare poterit testimonium.

MORBI particulares, quibus convenit hæc medendi ratio, sunt qui sequuntur; de quibus absolute tractare est præter institutum meum, ea tantum in his notare præ me ferentis, quæ ad usum aquæ marinæ spectant; curationem enim pharmaceuticam medicos probè callere credendum est. Sicui autem visus fuerim aquam marinam exhibendi criteria minùs particulariter indigitâsse, nôrit is velim me consultò hoc fecisse, propterea quod adeò plurima sunt semper in medicinæ praxi adstantis medici judicio relinquenda, ut regula vix unica constitui possit, à cuius observatione recedere non sit interdum necesse; sed qui medicinæ vera calluerit principia, & cautelas superiùs memoratas notârit, singulis ægrotis quæ sequuntur accommodare poterit.

### SCROPHULÆ.

**H**Æ fiunt à materia viscidâ, frigidâ, glandulas obstruente<sup>2</sup>, unde illarum durities pænè schirrofa; sæpiùs tamen inflammantur, & abeunt in ulcera ægerrimè

1 Medicin. Methodic. Lib. 2. cap. 2.

2 Vid. Hippocr. de glandulis. sect. 6.

fananda; cuius in causâ esse mihi videtur, si conjecturæ detur locus, quod infarctus glandulæ scrophulofæ primarius fiat in tubulis ejus secretoriis, ab inspissatione humoris secernendi, inflammatio autem excitetur in vasis glandulam nutrientibus, tantulis scilicet, ut impares omnino sint ad tantum calorem excitandum qui humores spissiores glandulam insigni mole auctam obstruentes digerat, & in pus convertat, quare artis adminiculo indiget natura ad humores istos probè attenuandos. Ægros ab hoc morbo plurimum levatos, aliquos etiam sanatos vidi, socio opere & usu tam externo quam interno aquæ marinæ, quâ epotâ vel vomitu rejiciunt, vel egerunt per alvum magnam phlegmatis viscidi copiam plerique; ab immersione verò frigidâ, embrocatione & fotu calidè applicatis, attenuantur humores, & dissipantur tumores, sed non nisi longo usu; ulcera verò plerumque sanantur citius. Apud veteres nihil de ejus usu interno ad hunc morbum occurrit; sed qui libros scripsit *de parabilibus*, afferit χρεόδας αλγοφοῖν των εἰαρῶν<sup>1</sup>. Et Marcellus Empiricus monet cochleas, quæ salinis inhærent, cum testis suis tunfas, atque impositas strumis efficaciter mederi<sup>2</sup>. Virtutem autem istam fali, quem imbibunt, tribuendam censeo. Inter recentiores *Fabrit. ab Aquapendente* medicamentum laudat quod mirificè ad sanandum strumas apertas valere afferit<sup>3</sup>: ejus autem quinta ferè pars est fal communis.

HISTORIAM unam vel alteram ex maximè notatu dignis subjicere lubet.

<sup>1</sup> Lib. i. cap. 154.

<sup>2</sup> Cap. 15.

<sup>3</sup> Lib. i. cap. 15.

## HISTORIA PRIMA.

CLERICUS ex agro *Oxonienfi*, tumoribus & ulceribus scrophulosis mirum in modum defœdatus, diu medicorum & chirurgorum ope frustra fuerat usus; tandem quotannis menses tres vel quatuor æstivos aquæ marinæ potationi, & immersioni in eâdem dicavit, unde plurimum levatus est, nullis assumptis medicamentis; sed cum res ejus tam longam non paterentur moram quæ curationi perfectæ sufficeret, ingravescens quotannis morbus, *utcunque temporibus intermediis aquam marinam domi continuò biberet*, repetitâ quotannis per aliquot menses *immersione marinâ*, miteſcere ſemper confuevit.

## HISTORIA SECUNDA.

PUELLA *Londinensis*, annorum circiter duodecim, palpebrarum, nasi, & labii superioris tumore & rubore infesta, cui etiam colli glandulæ inter aures & claviculas tumid æerant & duræ, plurima medicamenta, medicorum *Londinensium* hortatu, deglutierat, tandemque *Hamtoniam* delata est; omnia medicamenta rejicienda fuasi, & aquæ marinæ balneo, embrocationi calidæ, & potationi folis incumbendum esse. Post aliquod tempus miteſcere cœpit morbus, &, per menses ſedecim ſedulò continuatâ curatione, perfectè sanata domum rediit.

## SCORBUTUS.

**Q**UID per scorbutum intelligi velint hodierni, non facile dignosci potest; ægris enim adulandi gratiâ, omnes cutis morbos ad scorbutum referunt, propter ſonum nominis

nominis delicatulis minus ingratum; adeoque *scabie*, *leprā*, immò *scrophulis* laborantes ad aquam marinam pro scorbucis remittunt. Isti autem morbi toto cælo diversi sunt à *stomacace* sive *scelotyrbe* veterum, quam verum esse scorbutum seniores contendunt medici: is morbus est, procul dubio, quo graviter conflictantur nautæ, & locorum palustrium incolæ; *scorbutum muriaticum* nominaverunt recentiores, & ab acrimoniam alcalinam procedere tradunt chymici; acidis enim curatur.

EST verò alia mitior scorbuti species, nostratisbus magis familiaris, quæ licet aliqua prius dicti morbi imitetur symptomata, diu tamen sine insigni incommodo circumfertur, nec pari cum illo crudelitate (nisi rarissimè) desævit. Si cui autem gradu potius quam specie à morbo priori differre videatur hic, non tanti est, ut cum illo disceptationem ineam.

MORBUS hic, quem scorbutum dixi mitiorem, ortum plerumque dicit à victus erroribus (efu nempe ciborum sale & aromatibus conditorum) & corporis exercendi neglectu, nullâ stipante (quod fit in priori) aëris vel aquæ culpâ, nisi forsan ad aquæ vitiosæ censum referantur liquores fermentatione depurati. Multâ symptomatum varieta te ludit, inter quæ præcipua sunt gingivarum laxitas; membrorum & corporis laßitudo, præcipue matutina; cutis pruritus, si paulum incaluerit homo; cuticulares vari generis papulæ & exanthemata; dolores vagi; cæteraque, quæ nōrint practici.

Si in phlegmaticos incidat hic morbus, *scorbuti frigidi* nomine indigitatur; si biliosa & calidoris indolis occupet

C

corpora,

corpora, *scorbutus* nuncupatur *calidus*<sup>1</sup>; utrique levamen affert intestinorum evacuatio; ea autem optimè fit in *frigidâ* specie ab aquâ marinâ. Scorbuto *calido* laborantibus solenne est, corporis refrigerandi causâ, ad *mannæ* cum *sale glauberiano* doses aliquot, optimo cum successu, nisi gravius plectantur, ultrò confugere: his nunquam author fui, ut aquam marinam biberent; plurimos autem vidi, quibus ab ejus potu ingravescerent symptomata, præcipue cutis eruptiones; nec ideò factum hoc, quod morbi materia ad externa pelleretur, sed quod à calidâ aquæ marinæ acrimoniam morbus accenderetur. An omnibus idem semper accidat, non ausim affirmare; tantâ enim varietate constituantur humana corpora, ut nihil ferè in medicinâ sit perpetuum; sed non nisi ex universalibus dépromendæ sunt regulæ generales.

A B utrâque morbi specie sanguis redditur minus aptus ad circulationem, & secretionem, præcipue per cutis glandulas: hinc immersio convenit utriusque, quod exemplorum frequentiâ multiplici confirmatum vidi.

Quid in nautarum scorbuti curatione valeat aqua marina, cum nondum expertus fuerim, conjecturis operam ludere supersedeo; sed illos, quibus alvum ritè movet, ab ejus accessu forsan servare poterit. Quantum contra terriolarum *scelotyrben* valeat, sequens indicabit historia.

1 Hanc scorbuti differentiam, à sagacissimo *Willisio* notatam, neglexisse plerumque videntur hodierni; quæ tamen in curatione semper est respicienda.

## HISTORIA TERTIA.

VIR quidam penè sexagenarius, desidiosus, & crapulæ deditus, variis hujus morbi symptomatis conflictatus, ac, inter cætera, purpureis ac lividis crurum maculis, post longum medicamentorum antiscorbuticorum usum, tandem aquæ marinæ potum & ejusdem balneum simul adhibuit, & sanatus est.

CUTIS affectus scorbutici aquæ marinæ calidæ embrocatione & fotu optimè sanantur.

## HISTORIA QUARTA.

AD virum scorbuticum accersitus, methodo vulgari cætera symptomata satis feliciter curavi; sed in utroque crure cutis condensatio, cum eruptione erysipelatoide, crustâ albâ obducta, & acrem humorem exstillans, adhuc immutata persttit: his partibus embrocationem ex aquâ marinâ calidâ bis quotidie adhiberi suasi, ex cuius usu cito convaluit æger.

## PARALYSIS.

PARALYTICI ferè semper ventriculum & intestina phlegmate viscidio habent obducta, quo per catharinam amolito, nonnulli subitò sanantur: ad hunc finem aquæ marinæ potus summè est accommodatus, & ex illo levamen insigne paralyticorum observavi. Relaxatis membris convenit *immersio marina*, reverà autem contractis nihil unquam commodi illam attulisse vidi; reverà, inquam, contractis; si enim insigniter relaxantur membri alicujus musculi soli extensores, musculi contractores ejusdem,

dem, antagonistis destituti, in continuo actionis statu consistent, membrumque illud contractum videbitur, & è contra: hoc si fiat, membrum alienâ vi sine dolore extenditur; si verò musculi contractores reverà rigiditate laborent, extensio membra non fit sine maximo illorum ac tendinum suorum dolore; ac ista fibrarum rigiditas fotu vel balneo calido emollienti priùs est medicanda, quām immersionem aggrediare marinam. Senes autem paralytici, vel quibus admodum inveteravit morbus, ægrè revalescunt. *Cælius Aurelianus* in capite *de paralyfi*, *Utemur* (inquit) *etiam fomentationibus ex aquâ salsâ vel marinâ*: & rursus, *utendum etiam natationibus maritimis*. *Celsus* etiam jubet *fovere aquâ calidâ marinâ* (resolutos) vel, si ea non est, tamen *salsâ*<sup>1</sup>.

## EPILEPSIA.

**J**UVENES epilepticos, alios solâ *immersione marinâ*, alios confociatis medicamentis, tam catharticis quam alterantibus, morbi & ægri corporis genio accommodatis, sanatos sæpe vidi, cum nondum per aliquot sæcula *Nep-tuni* pocula degustaverat *Æsculapius*. Rarissimè quidem evenit quenquam ab hoc morbo, omissâ omni balneatione frigidâ, penitus liberari, excepto quod adultam ætatem adepti sponte sæpe sanantur. Finito paroxysmo, phlegma viscidum sæpiissimè vomitu rejiciunt ægri, quod ventriculo molestiam creans magis immediata forsan fuerit paroxysmi causa; quemadmodum pueruli, tam à viscido phlegmate lumbricorum prodromo & comite, quam à lumbricorum

1 Lib. 3. cap. 27.

vellica-

vellicationibus; insultus patiuntur, ab epilepticis vix distinguendos. Ad hujus phlegmatis attenuationem apta sunt medicamenta ad epilepsiam decantata, cinnabarina scilicet, volatilia & fœtida. Scribit *Aretæus*, τὰ μέσα τῷ σώματος, hoc est, abdominis contenta, interdum huic morbo causam præbere; id autem ubi fit, purgationem instituit per extrahentia pituitam<sup>1</sup>: inter hæc autem non infimæ fortis est aqua marina.

IMMERSIO sanguinem attenuat, cursumque ejus circularem æqualem reddit & universam (quod sanitatis animalium conservandæ regula prima est ac præcipua) partesque solidas roborat. Epileptici forsan sunt, qui, secundum *Oribasium*, si interpreti ejus fides habeatur, *morbo exagitantur*<sup>2</sup>. In cerebro veteres hujus morbi causam delitescere crediderunt, ideòque *Celsus* præcipit, ut *caput radatur*, *ungatur oleo veteri, aceto & nitro, & perfundatur aqua falsa*<sup>3</sup>. Operæ pretium esse non duxi ad rei vulgariter notæ confirmationem historias contexere.

## SCABIES.

MORBI cutis, scilicet, λέπρη καὶ κυποῦρος καὶ φόρη, καὶ λευχῆνες, καὶ ἀλφὸς, καὶ ἀλώπεκες ψεύτῳ φλέγματος γίγνονται<sup>4</sup>. Cui quidem sententiæ convenit, quod Scabies, illorum apud nostrales primicerius, rarissimè (modo non sit per infectionem contracta) nisi inter pauperes occurrat, quorum spurcities & vicius ratio ad habitum corporis pituitosum inducen-

1 Diuturn. Morb. curat. Lib. 1. cap. 4.

2 Vid. pag. 9.

3 Lib. 3. cap. 23.

4 Hippocr. de affectionibus sect. 25.

dum maximè conferre videntur. Quocunque in his morbis per alvi evacuationem fieri potest, ab aquā marinā plerumque fit, utpote quæ sit φλεγμάτων ἀνώγα, sed nec omnibus, his morbis laborantibus, convenit. His autem *Immersio* præcipuè accommodata est; glandulas enim cutis stimulo salis deterget, & humores illas obstruentes discutiendo ad officium suum revocat, in quo morborum istorum curatio præcipuè consistit. Notum est præterea practicis, nihil æquè ad morborum cutis recidivationem præcavendam valere, ac immersio frigida quæcunque.

### HISTORIA QUINTA.

VETULA quædam, scabiem ferinam per annos quatuor aut quinque passa, varias ex medicorum præscriptis curationis methodos incassum experta, ad mare tandem remissa est. Tam aquæ marinæ potationi, quam immersioni in eâdem per tres septimanas indulxit, nihil tamen levaminis sensit, sed è contra pruritus indies molestior evasit; cumque maximas ventriculo molestias crearet aquæ marinæ potus, ab illo abstinere suasi, nisi alvus foret astricta: abhinc indies affectûs molestissimi mitigationem experta est, & per menses duos immersa quotidie domum rediit ab illo liberata.

### LEPRA ARIDA.

**M**ORBUS hic multis modis pro tempore sedari potest; maximè tamen recrudescit. Aliquos vidi solius aquæ marinæ usu gemino, interno scilicet & externo, impræsentiarum liberatos; sed nec omnes ejus potationem ferre poterant; alios, fugato medicamentorum officinalium ope

ope morbo, immersione continuâ fanos conservatos: sed non temerè aufim promittere quenquam, intermisso omni curationis genere, ab hujus morbi recidivatione fore secum.

#### HISTORIA SEXTA.

JUVENEM quendam hoc morbo infestatum per aliquot annos (irritis optimorum medicorum præscriptis) medicamentis alterantibus, interpositâ singulis septimânis catharsî ex calomelano, ab eruptionibus penitùs liberavi, quo facto *immersionem marinam* imperavi, illâque per biennium jam continuatâ, ab omni labe insigniori perstat immunis; non nullæ quidem subinde erumpunt squamulæ, sed paucissimæ, sed fine pruritu, qui olim fuit molestissimus, & intra paucos dies evanescentes.

#### HISTORIA SEPTIMA.

VIRI illustri stirpe nati corpus & omnes artus occupaverant squamulæ albæ leprosæ; ex traduce morbus erat, & quicquid mercurius, antimonium, caro viperina, quicquid denique omnes copiæ medicinales ad morbi expugnationem poterant, expertus est frustrâ; licet enim pro tempore sedaretur affectus, semper tamen post aliquot menses redire confuevit. Ad mare tandem devenit, & medici sui mediterranensis suâsu, sex aut septem septimânas aquæ marinæ potationi dicavit, priusquam immergeretur: per totum illud tempus nihil sensit levaminis; cum verò ad balnei marini usum accederet, recedere cœpit morbus, & squamulæ deciderunt; certò certius repullulaturæ, si quando aquam marinam biberet; quare sponte suâ ab ejus usu interno

## DE AQUA MARINA.

interno totus abstinuit, & balneo marino constanter utens, quamdiu apud mare diversaretur, mitiori fruebatur morbo.

## RHEUMATISMUS.

**I**N Rheumatismo (præcipuè scorbutico) sanando, experientiâ ferè quotidianâ didici, quas vires habeant balnea marina; quorum frequentissimus erat usus apud veteres in articulorum morbis; scribit enim *Aretæus*: καὶ ἐπὶ τῇ διάτῃ, ἀλεύθης, ψυχρὸν γαλαζίν μάλιστα μὲν ὡς ἄπασι ἀρθριτοῖσι ξυνὰ ἄκεα<sup>1</sup>. Et *Cælius Aurelianus* ad dolores ischiadicos jubet, ubi *passio* fuerit tarditate inveterata, sacculum lineum implere sale torrido & apponere, tunc superaspersere partibus patientibus aquam calidam falsam<sup>2</sup>: sed ad arthritidem genuinam forsan potius referenda sunt hæc, quâm ad rheumatismum, cui magis congruere videntur *Oribasii* præcepta de iis, quorum crura aut aliquæ corporis partes defluxione tentantur<sup>3</sup>.

## RABIES CANINA.

**A**CANE rabido morfis solenne diu fuit ad *immersionem marinam* decurrere, quod si fiat, antequam ingruerit rabies, votis plerumque respondet; posteà verò nec huic, nec alii cuicunque medicamento fides constanter habenda est: in isto rerum statu aliis omnino auxiliis utendum est. Præ manibus est mihi historia puellæ, cui anno 1707 hydrophobia non mediocris à felis rabidæ morsu accefferat, quæ vulneris scarificatione sæpiùs repe-

<sup>1</sup> Curat. Diuturn. Morb. Lib. 2. cap. 12.

<sup>2</sup> Chron. Morb. L. 5. cap. 1.

<sup>3</sup> Vide supra pag. 9.

titâ, venæfectionibus item reiteratis, epispafticis, purgantibus, & sudorificis perfectè sanata fuit.

## RACHITIS.

**R**ACHITIDI apprimè congruum esse remedium facile viderit quicunque *Glissonium* de hujus morbi causâ consuluerit<sup>1</sup>. Decantatissimum est in hoc affectu remedium immersio frigida, *marina* verò præ cæteris accommodata est.

GONORRHœAM simplicem *immersione marinâ* sanatam vidi, quæ omnes *balsamicorum* & *astringentium* conatus lusisset.

FLUOREM ALBUM eadem cohibet, quoties à fibrarum laxitate pendet.

## FLUXUS MENSİUM NIMIUS.

## HISTORIA OCTAVA.

FÆMINAM novi fluxu catameniorum immodico laborantem, quæ, si fortè fortunâ per mare navigaret, subitò imminutum, ac tantùm non cohibitum sensit profluviū; huic *immersionem marinam* imperavi, exhibitis etiam medicamentis astringentibus, quorum magnam copiam priùs incassum deglutiisset; ac tandem sanata est.

MENSES obstructos ab aquæ marinæ potu revocatos novi.

## AFFEKTUS NERVORUM.

IN capitis doloribus, spasmis & convulsionibus à nervorum vitiis ortum ducentibus, præter spem inexperto-

<sup>1</sup> De Rachitide cap. 16.

rum levamen, affert *immersio marina*; sed his minùs immoror, quod notissimum sit, quas vires habeat illa ad morbos istiusmodi sanabiles sanandos, qui, sive totius corporis musculos occupent, sive in parte aliquâ sedes figant, ejusdem sunt prosapiæ. Supervacaneum esse duxi de remedio adeo vulgari historias proferre, sed propter singularem morbi speciem sequentem referre non pigebit.

## HISTORIA NONA.

PRÆTER LAPSIS annis jam ferè viginti, puellæ duæ eodem tempore relaxatione muscularum laryngis cum uvulae prolapsu laborârunt: neutra verbum, nisi maximâ cum difficultate, potuit enuntiare; ambæ autem ad singulas inspirationis vices sonum reddiderunt gallinarum cantui non absimilem; ambæ *balnei marini* usu ad perfectam sanitatem redierunt.

## NEPHRITIS.

## HISTORIA DECIMA.

SENEX quidam per annos ferè quadraginta nephriticis doloribus præter modum excruciatuſ, irritâ totâ antinephriticorum catervâ, tandem ab aquæ marinæ potu adeò fuit levatus, ut vitæ suæ reliquias satis placide transfeget, expulsâ per ejus usum maximâ fabuli & calculorum minorum copiâ.

A CHIRURGO experto audivi offa cariosa ab aquæ marinæ usu exfoliari, sed cum tam externè quam internè eâ usus fuerit ille, incertum est utri methodo effectus deberetur.

AD morbos quosdam à veteribus commendatur hujusmodi curatio, in quibus usus illius hodiernus non invaluit; ipse falsoem non expertus sum. Hi sunt;

ATROPHIA, quoties non est symptomatica phthise<sup>ως</sup>, diabetis, scorbuti, vel abscessus visceris alicujus (hoc enim si fiat, ad morbum primarium dirigendus est curationis scopus) sed ipsissimus est ipsa morbus, oriri potest vel ex insigni digestionis debilitate, vel ex nimiâ Perspiratione insensibili; de priori specie loquuntur veteres sub titulo cachexiae, quam insequitur hic affectus<sup>1</sup>: & eorum qui *ex alimento fructum non sentiunt*<sup>2</sup>; ad illam Cælius Aurelianus natationem maritimam commendat<sup>3</sup>, eandem Oribasius<sup>4</sup>: & calidæ marinæ balneum *Dioscorides*<sup>5</sup>. In posteriori quidem *immersio marina* glandulas cutis roborando apta est ad nimiam materiæ perspirabilis evacuationem cohibendam. Est & alia atrophiæ species, infantibus & puerulis plerumque peculiaris, cum scilicet infarctis vasorum lacteorum orificiis, & obstructis mesenterii glandulis, chyli transitus impeditur, itaque miselli, inter plurimam ciborum deglutitionem, fame conficiuntur. Horum certè materiam viscidam vasa lactea obstruentem feliciter eliminare valet *aqua marinæ potus*, ut & glandularum mesenterii obstructiones (modo non schirrescant) discutere: immersio autem frictionis & contrectationis, quæ plurimum juvant, vicem supplere potest. Si morbus, quem *atrophiam*

1 Vid. *Aretæum de Sign. Diuturn. Morb. Lib. I. cap. 16.*

2 Vid. supra pag. 9 ex *Oribasio*.

3 *Morb. Chron. Lib. 3. cap. 7.*

4 Vide supra pag. 9.

5 Vide supra pag. 8.

*nervosam* vocant hodierni, non sit aliquis ex prædictis (*atrophiam cachecticam* veterum esse suspicor) planè me nescire fateor quisnam ille sit. In omni autem atrophiâ, impedito vel aliorum derivato solidorum nutrimento, nervi potius communem corporis *pati* læsionem videntur, quam illius in causâ esse: nervis verò obstructis aliis omnino generis symptomata superveniunt.

HYDROPICTIS utcunque pituitam educat & diuresin promoveat, catharticum non satis drasticum esse credidimus, & immersionem potius, aquis evacuatis, ad recidivationem præcavendam quam ad curationem primariam suaderem. *Oribasius* tamen in curatione commendat natationem maritimam<sup>1</sup>. Et apud *Baynardum* exstat Historia de bibaci quodam hydrope ascite tumido, quem ad frigida balnea remisit ille, æger autem sponte suâ recessit ad loca maritima, & aquæ marinæ tam usu interno quam ejusdem balneo, ad perfectam sanitatem rediit<sup>2</sup>: refert idem se audisse plurimos hydropicos solo aquæ marinæ potu fuisse sanatos; sed non expertus sum.

MARCELLUS *Empiricus*, de podagrâ scribens, hæc habet: *Ubi autem cessaverit impetus, in utroque genere (calido scilicet & frigido) calidâ aquâ marinâ diu fovendi sunt pedes; vel, si ea non est, aquâ purâ ferventi, adjecto sale, foveantur*<sup>3</sup>: cumque post paroxysmi recessum podagricorum articuli ad tædium usque debiles perstiterint, verisimile est illorum robur ab hujusmodi fotu instaurari posse<sup>4</sup>.

1 Vide supra pag. 9.

2 Pag. 373.

3 Cap. 36.

4 Vide etiam suprà pag. 24 ex *Aretæo* allata.

CÆLIUS *Aurelianus* ad schirros hepatis & lienis laudat natationem maritimam, &, post emollitionem tumorum, malagma διάλων<sup>1</sup>: sed fateor me de perfecti schirri emolitione non mediocriter dubitare.

LONGAM forsan morborum seriem, tam simplici methodo curandorum, conflâsse videar, si nomina solùm respicias; fin ad causas illorum animum convertas, cernes illos numero non abundare.

Ex prædictis patet methodum hanc medicinæ nec esse neotericorum figmentum, nec ab illis inventam, sed, ab ipsis artis nostræ incunabulis, Principibus ejus innotuisse: caveant autem ægri, caveant medici, ne pro Panaceâ prædicatam in usum temerè adsciscant, ne etiam pro *unico necessario* in iis ægritudinibus, quibus convenit, venditent: probè enim scio respiciendam esse tām ægri corporis dispositionem naturalem, quàm morbi genium; adeò ut non tantum, quid ad hunc morbum sanandum, sed quid huic ægro, hoc morbo, hoc tempore laboranti, conveniat, in morborum curationibus considerandum sit: probè etiam scio, morbos quosdam ex prædictis aliorum medicamentorum sociâ ope sæpiùs indigere; plurimos etiam illorum aliis curationis methodis sanari posse, ferè omnes autem interdum esse omnino insanabiles. Quicquid autem ab aquâ marinâ fieri potest, in his morbis, & his similibus, expectandum est. Id verò omne, quatenus ab aquâ marinâ virtute peculiari pendet, immersioni (ut verum fatetur) & externo ejus usui, præcipue tribuendum vide-

<sup>1</sup> Chron. Morb. Lib. 3. cap. 4.

Notandum est ægrum, in historiâ primâ supra descriptum, ab interno ejus usu, intermisso extero, adeo non fuisse levatum, ut inter bibendum ingravesceret morbus. Ægris autem Hist. quintæ & septimæ nullum levamen externum usum, consociato interno, attulisse; eo autem omisso, maximum.

bique genius cum recto judicij acumine respiciantur; sed fieri potest per alia, potest etiam per aquam marinam, in iis quibus apta est: iis autem, quibus molestiam creat, præter necessitatem instituta videtur ejus exhibitio; his præsertim sœculis, cum tanta suppetit, ad omnem purgandi scopum, catharticorum, eleganti non minus quam efficaci formularum varietate concinnata, supellex: propter qualis defectum ad usum internum aquæ marinæ confugerunt veteres. Hæc de virtute aquæ marinæ merè catharticâ sunt intelligenda; ubi enim humores frigidi sunt simul desiccandi, præ cæteris catharticis interdum valere potest: præter hæc, inter cathartica calida & acria mitissimum est: diureticis etiam calidis annumerari debet, atque ab his facultatibus omnes aquæ hujus internè assumptæ facillimè deduci possunt effectus. Experimentum aliquoties feci quid valeret minori dosi, alterantis medicamenti vice exhibita, sed nihil unquam commodi ab isto sumendi modo observavi.

tur; nec mihi contigit quenquam vidisse, ab aquæ marinæ vi catharticâ levatum, qui non alio cathartico appropriato, iisdem præmissis & consociatis adjutoriis, balneo scilicet, & usu externo aquæ marinæ levatus fuisset: ad illum enim statum per ductis humoribus, ut per alvum illos eliminari fas sit, parum refert quo medicamento utamur, modò peculiaris ægri corporis natura, mor-

Hæc sunt, quæ de *aqua marinâ* dicenda habui; quibus qui fidem habuerit, & quæ ex his sequuntur rectâ ratione poterit deducere, credulitatis illum suæ haud pænitabit: si quis autem ista flocci fecerit, faciat, per me licet.

AD horum confirmationem non defuere mihi plures admodum ægrorum historiæ, sed ingentem harum farraginem infarcire supervacaneum esse duxi; quæ enim vera sunt, exemplorum multitudine veriora fieri non possunt: timui præterea, ne meæ praxeos enarrationibus immorans præter modum fastidium lectoribus moverem, de meipso potius quam de *aqua marinâ* sermonem habere vifus.

INTER hæc cum occurrant aliqua cum libro D<sup>ris</sup> *Russell*, latinè nuper edito, non omnino congruentia, videar fortasse ea contradicendi studio scripsisse; quod ita tamen abest, ut longè priùs scripta fuerint horum pleraque, quām vel de libro isto, vel de authore ejus audiveram. Notavi verò, dum librum istum perlegerem, licet multus sit author ejus in laudibus *aquæ marinæ internè sumendæ*, in omnibus tamen historiis, quas vel contexuit ipse, vel ab amicis communicatas publici juris fecit (cum pace virorum tanti nominis dictum sit) de ægris tantum quatuor (Hist. 32, 34, 36, 37.) mentionem esse factam, qui solius *interni* ejus usus vires fuerint experti, excepto quod uni præterea, per modum enematis, fuerit injecta. In cæteris conjuncta sunt, vel *usus externus aquæ marinæ*, cui, uti priùs dictum est, effectus ejus potissimum tribuendi mihi videntur; vel medicamenta ad singulos morbos decantatissima; in plurimis autem utrumque genus adjutorii; & in uno quidem ægro (Hist. 18.) *Vis morbi ab antiscorbuticis fracta fuisse dicitur, conjuncto aquæ marinæ potu, quamvis multa*

*multa priùs fuerant medicamenta infeliciter in usum vocata, INTER QUÆ AQUA MARINA; sàgaciori igitur medicamentorum delectui, qui ab authore isto plerumque fit, potiùs quam aquæ marinæ potationi, tribuendum videtur istius morbi levamen; neque satis constat, quantum in cæteris curationibus ejus, utcunque de glandularum obstructionibus referandis optimè scripserit, aquæ marinæ usui interno tribui debeat. Afferit præterea potationi ejus largiori sine incommodo ægros indulgere posse, quod unica mulier ingentem ejus copiam, congios scilicet viginti quinque, impunè ingurgitaverit; (Hist. 32.) oblitus forsan, ex particularibus inferri universalia non posse.*

FATENDUM est ægros, quos mihi contigit observâsse, non adeò felici successu ejus *usui interno* semper indulsisse, ut nihil unquam incommodi ab illo pateretur quisquam. Prima mihi de incommodis ejus injecta est suspicio à correctoriis ejus, quæ occurrunt in scriptis veterum, qui medicamentorum, quibus usi sunt, medicos in humanum corpus effectus tam probè calluerunt, tantâque cum fide posteris suis tradiderunt, ut, his visis, crediderim scriptores illos aquæ marinæ correctioni, potiùs expertos ejus incommoda, operam navâsse, quam ea finxisse, ideo tantum ut corrigere viderentur; quod experientiâ propriâ confirmatum sæpiùs habui. Notatu dignum est, inter cæteros illam corrigendi modos, *affervationem* à *Dioscoride* celebrari; quarè qui ad loca mediterranea asportatam bibunt, incommodis ejus minùs fortasse fuerint obnoxii: optimum tamen reverà correctorium est usus ejus prudenter institutus.

Mihi usitatum est, si morbi status ferat, inter aquæ marinæ usum, ab aliis medicamentis abstinere; quamvis enim

enim in morbis gravioribus omnia sint undique auxilia conquirenda, tamen cum de unius medicamenti viribus res agitur, si alia simul admiscueris, haud facilè judicaveris, cuinam effectus sit jure tribuendus.

PERSPECTIS jam aquæ marinæ naturâ & principiis supra memoratis, haud forsan erit difficile vicem ejus supplere; soluto scilicet in aquâ dulci sale marino gallico, vel sale communi & cathartico secundum justas proportiones, vel etiam sale ammoniaco: quod illorum innui gratiâ, qui, propter rerum suarum impedimenta, loca maritima nequeunt adire, inexpertus quidem; qui enim longis itineribus ad mare decurrunt, vel qui in locis maritimis vitam agunt, inviti ac præter rationem ab aquæ marinæ usu transirent ad succedanea.

VALE, lector, &, si nihil ex his profeceris, usui tamen esse poterit hic libellus, si quando aquam marinam fortasse biberis.



Boitard inv. et sculp.

